64

3

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUAEDAM

DE LIENE
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CHRISTOPHORUS O'BRIEN,

Hibernus,

SOCIETAT. MED. TRIN. COL. DUB. SOC. HON.

NECNON

IN CLASSE REGIA BRITANNICA,

CHIRURGUS.

"Et melius est aegros juvare cum periculo, quam nullo prorsus remedio sinere mori." GALEN.

Quod potui feci, faciant majora potentes.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiæ Typographus.

MDCCCXVIII.

GEORGIO VANCE, M. D.

NOSOCOMII REGII NAVALIS

APUD HASLARIENSEM

CHIRURGO;

NON MINUS PERITIA SUA IN ARTE MACHAONIA

QUAM BENIGNITATE ET MORUM

SUAVITATE ATQUE OMNIBUS QUAE

VIRUM ET AMICUM EXORNANT

INSIGNI;

OB MULTA BENEFICIA IN SE SPONTE COLLATA

NUNQUAM OBLIVISCENDA

AESTIMATIONIS

ATQUE AMICITIAE SINCERAE,

HOC QUALECUNQUE TENTAMEN ACADEMICUM

TESTIMONIUM PEREXIGUUM SED SINCERUM

(FUGAX QUIDEM MONUMENTUM)

ANIMI GRATISSIMI

BENEFICIORUM HAUD IMMEMORIS

LUBENTISSIME OFFERT

ADJUTOR EI QUONDAM

AUCTOR.

Duo, in medicina fulcra sunt; ratio et experientia, experientia praecedit; ratio sequitur; hinc rationes in rebus medicis experientia non conditae nihil valent. HOFFMAN.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE LIENE

COMPLECTENS.

PRAEFATIO.

VARIAE apud medicos sententiae de lienis usu invaluerunt. Nonnulli enim, viscus plane inutile, et otiosum, haberent, et fortasse in hanc opinionem, aliquis primâ faciê, ex Casu in parte sequenti hujus dissertationis proferendo, adductus fuerit. Huic tamen sententiae nequaquam consentio, nullam enim corporis partem frustrà fabricatam esse crederem.

Dum officia medica in Classe Britannica obirem, mihi contigit auxilium praebuisse

homini cujus lienem necesse habui excidere, nec ulla injuria inde insecuta est, dum mei curae demandatus fuerit.

[1] Res adeò nova, eventus tam inopinatus, multa de functionibus istius organi perquam obscuris ut animo versarem adduxit, quoniam usus ejus parvi omnino esse momenti propriâ experientiâ comperi: rem igitur reipublicae medicae ut communicarem, occasio nunc oblata fortiter suadet.

Usus ejus videtur nequaquam bene intellectus, res quam nunc proferre aggredior, cum aliis majoris momenti postea fortassè detegendis, hujus organi munera functionesque, volventi tempore, plane explicarent. Interea tamen, operae pretium est, omnia quae visceri huic pertinent, necnon varias opiniones quae adhuc de ejus usu prolatae sunt, notare.

---

(1) Doctor Haighton, dum ejus praelectionibus Londini incubui, casum militis narravit hasta vulnerati in praelio insigni *Dettingen*, qui per totam noctem in campo jaciebat; sed quum mane Chirurgus illum detexerit, ex abdomine dependentem Lienem invenit, et tam mole auctum, ut situi reducere non valuerit, statimque corpore Lienem exciderit, et injuria nulla viro insecuta est; hic casus, tantùm, benè confirmatus est, quantum inquisitionibus meis hactenus induxi.

LIENIS ANATOMIA.

Lien, vel splen, vel hepar sinistrum, in hypochondrio sinistro situs est, inter costas spurias et spinam ; figurâ est oblongus, et ovalis, circiter digitos septem longitudine, et quatuor vel quinque latitudine. Latus convexum prope diaphragma restat, latus concavum sulcu longitudinali interrumpitur, ubi Vasa Splenica lienem intrant, pars superior latior, magisque concava est parte inferiori, ventriculique curvaturae majori proxima est. Latus inferius supra renem sinistrum et partim versus colon restat ; superficies convexa ad latus concavum diaphragmatis versa est. Lien habet fissuras duas, quae sunt adeo profundae, ut quasi in duas partes videatur dividi.

Hominibus diversis, diversa forma est ; magnitudo quoque, pro corporum et constitutionum diversitate ; color ac etiam variat pro diversitate aetatum, et temperamentorum ; in foetu rubens plerumque, in adultis atro-purpureus, in provecta aetate sublivi-

dus. Spongiosus est atque omnium viscerum abdominis mollissimus, ex vasis sanguinis refertis, vel ex congerie vasorum nervorumque inter se substantia cellulari[1] nexorum, constat, at haud raro ex quibusdam appendicibus, quae substantia cellulari etiam annectuntur, glandulisque simillimae videntur; saltem, venis ejus injectis, faciem induit hujusmodi, sed alitèr accidit, si per arterias injectio transeat; nonnullis dicitur splenem structuram cellularem tantùm exhibuisse, quum injectio extravasata fuerit, quod Liene recentissimo facile fieri potest; arteria fortasse in tam multos et valde minutissimos ramos divisa, transitui injectionis prohibeat; hinc, si ab aspectu ejus non decipiamur, venas Lienis, haud secus ac corporum penis cavernosorum officio fungi absorptionis, quoniam nullum sit viscus vasis lymphaticis melius suppeditatum, docemur.

---

(1) Blumenbach lienem esse cellularem negat, et inquit; " Universum hocce viscus fere totum quantum e vasis conflatum esse sanguiferis, pro mediocri ejus mole longe amplissimis; ita ut omnium corporis humani partium sanguinis ditissimum extet." (Vide p. 305.) Sed experimenta permulta Doctoris Haighton aliter ostendunt.

Ut primum aorta in abdomen descendit, arteriam dat coeliacam, unde derivatur arteria splenica, quae pro ratione visceris, multo amplior est, et cursu vagatur deviò supra pancreas, et pone ventriculum, ambobus ramos distribuens, hi propter brevitatem eorum vasa brevia nominantur; tunc arteria splenica superficiem Lienis penetrat concavam, ubi in vasa minutissima dividitur, et, ut opinor, in cellulas sanguinem effundit, unde exit vena splenica, quae tandem ad venam portae sanguinem deducit.

Nervi lienis parvi sunt, et ex plexu splenico derivantur, qui e ramis posterioribus paris octavi et sympathetici magni formatur. Lien ventriculo vasis brevibus et ligamento conjungitur; peritonei portio, reni sinistro, omento, et diaphragmati, lienem conjungit. Arteriae rami splenicae eum adnectunt pancreati, et colo, ope ligamenti conjungitur; manifestum est, situm hujus visceris multum ex partium vicinarum statu pendere, per motus diaphragmatis elevatur, aut deprimitur. Ventriculo repleto, concavus et transversus fit lien, quando ligatur venâ splenicâ tumi-

dus fit, et idem accidit ex distensione ventriculi, et vice versâ.

Iis, qui subito moriuntur, vel occiduntur, lien fere parvus est, sed aliter accidit si morbi tardo aggressu pereunt, tunc magnitudo maxime augetur. Ductus Lieni excretorius est nullus.

LIENIS VITIA.

Primum et frequentissimum, quod patitur Lien, est tumor. Lienis inflammatio tunicas raro adoritur, nisi peritonei vicinium inflammatur, capsula propria Lienis peritoneo tam arctè obtegitur, ut cito Lienem invadat inflammatio *peritonealis*, et phaenomena ostendit solita. Lienis substantia obnoxia quoque est inflammationibus, et exinde nascuntur apostemata, quamvis hic affectus rarior sit; sanguis enim in viscere tam vasculoso stagnat, et quidem impeditius circumit, qualis solet contingere in inflammationibus, quae postea, si non discuti possint, vel in abscessum, vel in sphacelum degenerant. Saepe inter Lienem et par-

tes vicinas adhaesiones fiunt, quibus superficies lata Lienis diaphragmati, haud raro etiam ventriculi arcui majori, nec non coli arcui transverso, connectitur; nonnunquam Lienis hernia accidit, ex pressura externa supra hujus visceris situm. In diversis hominibus, Lienis moles multum differt, et forsan nullum aliud viscus tantas varietates exhibet; nonnunquam juxta ventriculi arcum majorem, multi, magnitudinis, instar castaneae, Lienes inveniuntur:[1] dictum est nonnullos sine Liene, natos esse[2] nec hoc tamen mirum videbitur, quum ex canibus, ac etiam ex homine, Lienem exsecari posse sine injuria inveni. Quando Lienis tunicae inflammatione laborant, symptomata sunt fere eadem ac in peritonei inflammatione, dolor topicus sentitur pro ratione inflammationis, qui premendo augetur, atque

---

(1) Vide Baillie's Morbid Anatomy.

(2) The human spleen (says Dr Baillie,) has been removed in a few instances, and the persons have not only recovered, but have afterwards enjoyed good health. It does not appear therefore very wonderful, that a body should be formed without a spleen, and carry on its vital functions without any obvious imperfection.—Vide (Baillie's Morbid Anatomy.)

si multum urgeat morbus, febris erit symptomatica; si Lienis substantia maximè afficiatur, tumor et dolor gravis, in sinistro hypochondrio et usque ad diaphragma et sinistrum humerum protensi sentiuntur; difficilis decubitus dextro latere, pedum inflatio; cibi itidem adest fastidium, exinde, dolores acuti sentiuntur, ad ipsum jugulum porrigentes, sed raro hujusmodi inflammatio accidit. Admodum mollis haud raro Lien existit, sed, vix morbosa (quamvis praeternaturalis) debet haec mollities aestimari; hoc raro in juvenibus, at saepiùs in aetate provecta, occurrit; hujusmodi fere observatur Lien omnino innoxius esse. Saepe Lien induratus fit, et tam multum mole auctus, ut facile, vitâ perstantê, dignoscatur.[1] Quando sectio fit, parum a structura sana alienari videtur, sed ejus partes magis solito densantur; tumor hujusmodi scirrus vocatur, et sic Hoffmano celeberrimo bene expositus est. "Durities talis non tam fit a sanguine copioso ejusque infarctu. Rarissime enim Lienes nimis magni et tumidi sunt, si-

(1) Febres intermittentes sed praecipue quartanae tumorem Lienis gignunt mole ingenti, sed causa obscura videtur.

mulque lapidosi et duri, utpote sanguis non induratur, sed lympha est et serum, quod poros obstipat, concrescit, et firmam sensus expertem substantiam induit unde ante omnia membranae lienis in duras cartilagines abeunt, et apparet saepius lien quasi cortice lapidoso incrustatus [1]." Sed structura scirri in Liene adorientis, meâ sententiâ, admodum dissimilis est ei alias partes corporis occupanti; verisimile est, naturam ejus adhuc non bene exploratum esse; Hydatides in Liene ac in hepate subinde formantur. Solet hic tumor existere inter membranam lienis, et ipsum *parenchyma*, et ex ipsis vasis *lymphaticis* nimium lymphâ distentis nascitur. Fiunt primum vesiculae, quae hydatides vulgo vocari solent, et constant ex magnis vasorum *lymphaticorum* expansionibus lymphâ repletis, extra quas lympha rupta subito progignit hydropem [2].

Inter vitia Lienis, vomitus sanguinis nigri haud raro indicium est, hic Hippocrate non-

(1) Hoffmani Opera, tom. ix. pag. 549.

(2) Vide Appendix, apud lit. A.

cupatus est "Morbus Niger," ex sanguine ab Liene in ventriculum per vasa brevia retrorsûm eunte, et postea ex ventriculo ore dejecto, oritur; eandem ob causam etiam vasa quae sanguinem ad intestina vehunt nimium repleta crepant et sanguis proruptus ano defluit [1].

His malis et vitiis gravibus consideratis, nunc ad physiologiam ejus veniendum est.

PHYSIOLOGIA.

De Lienis usu multùm discrepant auctores, nihilominus meo in animo est opiniones varias notari dignas istìc editas referre; vix necesse erit argumenta omnia de hac re nobis tradita graviter expendere. Dum alii sanguinem reddere calidum et fluidum, alii veterum quandam fermentationem naturae subacidae ibi fieri, credebant, quâ sanguis condensatur; Hoffman dixit opus erat tali viscere quod sanguinem coccineum et spirituo-

---

(1) Vide Appendix, apud lit. B.

sum reddat.[1] Alii eum functiones generationis augere opinabantur, et multi ad bilis secretionem in hepate conferre; alii fortasse aequilibrium praebere abdomini propter hepatis pondus, existimabant. Certè lugendum est terminos humanae scientiae adèo obscuros et arctos esse, ut homines eruditi summâ diligentiâ non possunt eos satis explorare. Dominus Hewson, vir summae scientiae, particulas rubras sanguinis ex nucleo et vesicula constare, atque glandulam *thymum* dictum, nucleum, et Lienem, vesiculam formare dixit; et porro eum globulos rubros quosdam Lienis *lymphaticis* redditos, detexisse; sed in hoc exemplo verisimile est partem lienis ruptam vel vasa ejus nimis compressa esse; supervacuum igitur hypothesem tam levem et tam inutilem quae nisi ob auctorem venerabilem nunquam recepta fuisset, refellere.[2]

(1) Vide Hoffmani Opera, tom. ix. pag. 367.

(2) Hanc opinionem Hewsoni, summâ diligeutia, Doctor Monro refellere conatus est, qui dixit, Lienis magnitudinem non in ratione esse quantitati sanguinis rubri in animalibus generaliter invento; nam in aliis perlargum est lien, quamvis iis particulae sanguinis rubrae

Dixit etiam Hewson sanguinem venae splenicae glutinis non multum continere, ac etiam particulas rubras arteriae splenicae nucleum centralem non habere; cui argumento objici potest lieni ductum excernentem abesse, qui singulis glandulis secernentibus adest, et porro credidit Hewson, particulas sic fabricatas in usum hepatis soli fuisse.[1]

Alii sub auspiciis melioribus lienem adjumentum functionibus praebuisse hepatis dixerunt; certum est venas splenicas in venam portae transire, et isto modo, et ex venis viscerum abdominalium aliorum venam portae formari. 1mo Lienis sanguinem dotibus docemur propriis praeditum esse; nam, liene exsecto, dicitur bilem minus flavam et acrem esse. 2do. Sanguinem lienis propter motum lentum in hoc viscere plus carbonis,

---

perpaucae sunt; sed in hoc maxime perpendit, se cellulas, quas Hewson particulas rubras continere putavit, multo minores esse quam particulas rubras ipsas detexisse.

(1) Doctor Haighton invenit, nullam differentiam inter sanguinem vel ex vena splenica, vel ex quacunque corporis parte missam existere; nam glutinem continere, et coagulationem subire, sicut sanguini generaliter accidit, experimentis multis demonstravit.

quàm sanguinem venosum alicubi continere[1] et quoniam bilis carbonis et hydrogenii multum tenet, veresimile est, lienem dare carbonem necessarium: sed huic sententiae a Doctore Babington probe objicitur, liene exsecto, bilem naturalem esse, quoad colorem, saporem et alias ejus dotes, quarè haec hypothesis concidit.[2]

Nonnulli[3] contendunt pressuram ventriculi pleni supra lienem, fluxum sanguinis augere, et functionibus lienis hepar sanguine, isto ipso tempore quum maximè usus est, suppeditari; opinio hujusmodi vires acquirit, eò quod, apud illos qui lenti morbo aggrediente pereunt, lien semper parvus est, sed experientia edocet quò magis repletus est ventriculus, eò tardior fit sanguinis in liene circuitus, ob pressuram in hoc viscus insignem: hanc igitur sententiam nullo fundamento niti perspicuum est.

Melius aiunt nonnulli diverticulum esse ventriculi lienem, et propter has rationes,

---

(1) Vide Blumenbachii Institutiones Physiologicas, pag. 307.
(2) Vide App. A.
(3) Vide Halleri Primas Linas Physiologiae.

nempe imprimis, arteria splenica, priusquam lienem penetrat, ventriculo et pancreati ramos dat; rami illius propter cursum brevem et rectum vasa brevia nominantur; ab hoc sequitur, si ob pressuram ventriculi sanguinis in liene cursus tardus fit, copiosior tamen est, et demum ventriculum potius quam hepar sanguinis superfluitatem habiturum. Prima facie, hypothesis hujusmodi attentionem sibi vindicare meretur; sed quando probe ad eam animum advertimus, multae dubitandi rationes sese nobis offerunt, et nobis rogari liceat, cur, per tantas ambages sanguine ventriculus suppeditatur, quando aorta et arteria coeliaca tam prope inveniuntur, necnon constructio organi tam obscuri in usum hujusmodi nimiùm a simplici naturae ordine aberrare videtur; praeterea quando ventriculus repletus est, lien attollitur, et idcirco sanguis vasorum brevium non tam facile ad ventriculum fertur, veluti vacuus esset, et si concedamus sanguinem, ventriculo repleto, auctâ quantitate fluere, nihilominus conclusio quaesita non sequitur, quoniam usui digestionis non prodest sanguinis copia insolita in ventriculo;

cibus certam mutationem subit, sed a duodeno, quod officio ventriculo secundi perfungitur, chylus precipue formatur.

Praeter has opiniones, nonnulli, sicut Everardus Home Baronettus, dixere, lienem fluida ingesta certo modo ignoto ex ventriculi cardia recipere, et ab hinc in circuitum venire; et, re vera, si objectiones quaedam non obstarent, haec hypothesis nostra attentione dignissima esset. Clarus Auctor jam nunc citatus ventriculi extremitatem *pyloricam* canis ligaturâ circumdedit, et in eum rhei infusum injecit; cane postea occiso, vasa absorbentia neque ventriculi neque hepatis portionem ullam quamvis minimam rhei continebant; sed in liene ac etiam in urina solutionis manifestae erant reliquiae, atque experimento iterato, liene prius exciso, infusus rhei nihilominus in circulationem transiit; quamobrem non retinebat opinionem anteadictam Home; praeterea objici potest, quaedam animalia, quae nunquam vel raro bibunt, habere lienes magnitudinis ingentis.

Postremo de usu lienis Doctor Rush hypothesim protulit, quae, ut opinor, praeter alias

hypotheses argumentis eximiis suffulta est; dicit, lienem esse receptaculum sanguinis superflui in usum conservandi et protegendi ventriculum ex ruptura vel nimia distentione, et ad hujus conjecturae defensionem argumenta sequentia proferuntur.

Imprimis magnitudo et vis arteriae splenicae, quae multo largior arteriâ hepaticâ est, quamvis hepar cum liene collatum est mole quadruplici.

Secundo—Lien habet arteriam unam tantum, dum hepar et alia viscera duas habent, scilicet, unam pro nutrimento, alteram pro secretione.

Tertio—Lien vim maximè distendendi possidet, nam secundum Doctorem Baillie pondere, libras undecim et uncias tredecim erat, quamvis illius figura textura et color naturales essent.

Quarto—Lien prope cor restat, et ista parte abdominis ubi brevi tempore augeri potest, absque injuria organorum vicinorum.

Quinto—Quando exercitatione aut equitatione insolitâ, aut cursu aut risu immodico excitatur, in sinistro hypochondrio sentitur

dolor circiter lienis situm, quod si verum, opinioni Doctoris Rush multum confert.

Sexto—Lienis obstructio ex morbis ferè oritur, quorum signa sunt sanguinis retrocessio ab extremitatibus, igiturque corde et vicinis visceribus accumulatio.

Denique dicitur, dyspepsiam, cephalalgiam, et secretionem auctam salivae, urinae, et seminis, apud hos accidere, quorum lienes exsecti sunt sed hoc nequaquam constat et si conclusio vera quaeritur non sustentetur.

Argumentum pendet ex hoc, nempe, repletionem oriri ex lienis defectu, et causam esse morborum ut supra, sed *anatomiâ comparativâ* docemur animalia quaedam, agilitate et celeritate praedita, lienem habere minorem quam ex statura eorum aliquis putaret; ubi argumentorum et observationum defectus est, difficile monstrare sit veram visceris naturam, de quo lis est; nil tamen mirum est tam variis officiis secundum opiniones nunc traditas perfungi. Opinio Doctoris Rush, ni fallor, non tam facile evertitur, quamvis vix credi potest functionem tam magnam habere, dum impunè ani-

malibus exsecatur, etiam ex hominibus, cujus casum, ut egomet expertus sum, lectori nunc reddam.

CASUS VIRI CUJUS LIEN EXCISUS ERAT SINE INJURIA.

Josephus Raphael Gamez, incola de Carretano, in provincia de Mexico, dum virginem stuprare conatus est, ictu lapidis prostratus, quem in eum femina Indica eodem tempore progrediens impulit, viro concussione stupefacto, virgo infelix hanc occasionem amplectens cultrum latum et longum ex ocrea viri abripuit, et eo latus sinistrum sub costa ultima falsa transfodit. Educto cultro, Lien protrusus est, sed per duos dies nihil auxilii homini allatum est. Tertio die meae curae tandem permissus est: hoc tempore lien pure obtectus, vasa constricta, texturaque ejus adeo soluta ut vix vita praeditus fuit. Massam igitur tam corruptam et quasi extraneam abdomini reddere nolui; quare vasa ejus ligaturâ circumdedi, et remedia *antiphlogista* praecepi;

missionem sanguinis supervacuam credidi, copia immensa ex vulnere defluxit. Die Februarii decimo tertio, nempe vulneris die vicesimo, plane ex corpore lien morbosus se separavit, et usu lintei et unguenti simplicis, homo in valetudinem prosperam redditus est; die vicesimo Martii sequentis in carcerem conjectus fuit, propter facinus ab eo patratum. Res sola quae injuriam internam indicavit, urinam cruentam per dies decem reddidit, fortasse orientem a sinistri renis vulnere, at die undecimo bene se habuerunt omnia; nulla alia symptomata sese obtulerunt dum sub mea cura erat, et die vicesimo Martii omnino sanus demissus est. In Portu Sancti Francisci ad anchoras stabamus per dies triginta post ejus decessum ex nosocomio; symptomata infausta nulla adhuc supervenierant, et de valetudine rogatus respondit, 'sese nunquam meliore frui.'

APPENDIX.

A

Virgini annos viginti natae, cum sanguis per uterum respondere desiisset ante annos duos, dolores ad hypochondria primum orti sunt, tum deinde venter intumuit. Hunc tumorem, variis incassum remediis usa, annum circiter jam tulerat, cum in nosocomium hoc Patavinum excepta est. Non unis adhibitis auxiliis, nihil profectum est.

Cadavere dissecto, Lien, nisi quod aequo major, intus sanus fuit; ut sanus erat Lien alter, multis partibus minor, quippe diametro digiti transversi, qui subrotundus inter vasa haerebat, membranasque ad majorem alligatas, huic vicinus, sed omnino sejunctus, interna structura eadem prorsus, eodemque calore. Sed in majoris Lienis tunica, praeter aliquot hydatides, corpuscula passim prominebant subrotunda, alba, et dura, magnitudine varia, pleraque tamen milii granis aliquanto majora. Extabant eadem hic illic in facie interiore peritonei, et in exteriore intestinorum, tenuium praesertim in qua erant pariter hydatides.—*(Vid. Morgagni de Sedibus et Causis Morborum, Epist* xxxviii. *Art* 34.)

B.

Juvenis annorum circiter viginti, magnus durusque in sinistro hypochondrio sese prodidit tumor, cum ponderis sensu, difficilique inter ambulandum respiratione. His repente accessit largus sanguinis vomitus, cum magna virium jactura, tumoris incremento, et febre. Remediorum ope primis diebus a vomitu, deinde etiam a febre liberatus. Januario autem mense, bis terve redeunte sanguinis vomitu, in vehementem incidit febrem et a vita sublatus est. Cadavere dissecto, mirum fuit, quam modica in vasis omnibus sanguinis portio superesset. Itaque ventris viscera insueto pallore, et quasi candore ad se oculos alliciebant, si splenam exciperes, qui naturalem servabat colorem ; sed auctus adeo erat, ut hepar mole superaret, penderetque libras quatuor cum semisse. Nec erat aequo durior, nisi quod ad convexam faciem, uno aut altero in loco solidiorem alte recondebat substantiam majoris nucis magnitudine. In splenicae venae trunco polyposae concretiones latebant, quae cum ejus venae ramis perbelle se vel intra splenem dividebant. Largus in hoc juvene,

nec semel iteratus, sanguinis vomitus faciles explicatus habuisset, eo tempore quo per venam, vas breve dictam, ex liene aliquid mitti in ventriculum, non dubitabant. Sed posteaquam circumitio sanguinis, et experimenta aliter docuere, aliter quoque est res explicanda; ut puta, si dicamus, quanto minus sanguinis in obstructum splenem per coeliacam arteriam inferri potest, tanto plus per alios ejusdem arteriae ramos ad ventriculum importari, aut sanguinis a ventriculo reditum per vas breve, impediri a tumido splene, vas illud inter se, et turgentem saepe, ventriculum valde premente; ut alterutra, aut utraque aut alia aliqua, harum non absimili ratione intelligi possit, sanguinem sibi ex vasculis nimis distentis exitum in ventriculi, ad id praesertim dispositi, cavum aperire. Nec tibi id forte obstare videatur quod Juvenis hujus ventriculum sanum fuisse, indicetur; nam sanguinem per oscula plurima quidem, sed tenuissima, intra illum, laxioribus fortasse instructum fibris, fuisse effusum putabis. (*Morgagni de Sedibus et Causis Morborum*, *Epist.* XXXVI. *Art.* 12.

C.

Sacerdoti (inquit Morgagni) ex inclyto ordine S. Augustini, aliquot annos nato supra quadraginta, post studia, itinera, labores alios coeperat non ita multis ante mensibus tensio quaedam percipi ad dexterum hypochondrium. Accessit deinde frequens vomitus quarta a sumpto cibo hora. Alia deinceps addita sunt. Novissimis denique morbi hebdomadis ita res se habebant. In ventre magna durities, in dextero autem hypochondrio maxima; sed nullus, si premeres, dolor qui contra per se oriebatur, et acerbus quidem, in altero hypochondrio hora confectionis ciborum. Rejiciebatur humor aliquando colore infectus quasi *tabacci*, alias multo magis fusco, atque atro, alias vario, et maxima exparte ab his diverso: nec deerant qui dicerent, se non mucosa tantum, ut alii, sed et quaedam quasi ramenta membranularum in eo humore animadvertisse. Hi remedia varia exhibuerunt, intra paucos dies, pedibus oedemate nonnihil tumentibus, pulsu jam nullo, sine gravi spirandi difficultate, ullave mentis perturbatione, aeger vivendi finem fecit. Abdomine diducto, jecur longe maximum inven-

tum est, steatomatibus plenum, et substantia his interjecta, thymi excocti instar, alba, et lobulosa, sed dura. In fellis vesicula cum livida bile novem calculi, alii alia forma, qui omnes primum ad viridem colorem vergentes, postquam siccati sunt flavescebant. Lien perpusillus, ut nummi argentei quem scutum vocant, magnitudinem non superaret. Sive Lien a primordiis usque, ut credibilius fortasse est, huic sacerdoti exiguus obtigit, sive per hepaticam arteriam aversus a splenica in amplificatum jecur sanguinis cursūs Lieni simul, et pancreati extenuationem attulit, sive hanc demum magis magisque praeter omnem modum adaucta hepatis moles, durities, pondus induxerunt; vides utique, nec satis auxilii ad bilis secretionem ab ejusmodi Liene hepar, neque satis succi ad bilem contemperandam a tali pancreate duodenum intestinum habere potuisse. (*Vide Morgagni de Sedibus et Causis Morborum*, *Epist.* XXX. *Art.* 15.)

FINIS.